

Sammelbd

Quint. 1. Teil

13. Altk. 13. August

I. N. S. S. T. A.

DE

TEMPLO
SALOMONÆO,
QVANDO, UBI, A QVO, EX
QVIBUS, ET QVOMODO EX-
STRUCTUM FUERIT,

DISPUTATIO SECUNDA

EXHIBENS ubi & à quò

*Quam*Amplissimæ Spectatissimæque FACULTATIS PHI-
LOSOPHICÆ JENENSIS PERMISSU,*Publica placidaq; Eruditorum ἐξέτασις submittit*

PRÆSES

M. MICHAEL CHRISTI-
NUS LUDOVICI

Tróbnic.

RESPONDENTE

JOHANNE ZACHARIA Gren / Eisfeldâ Francô.

ad diem Octobris

M. DC. LIIX.

H. L. Q. S.

 Typis SAMUELIS KREBSIL.

TEMPLUM

SALOMONIS

QUANDO IN AVO EX

QUIS ET QUOMODO EX

STRICTUM FUERIT

EXHIBENS UBIS QUOD

Adhibere spectantibus Partibus

et quibus Partibus

Rubricis quibus Partibus

M. MICHAEL CHRISTI

NISS LUDOVICI

Tribus

RE-FONDARE

JOHANNES ZACHARIA

ad dicitur

M. DC. LXX

TYPIS SAMUELIS KREBSII



I. N. J.

§. XXII.

DE tempore quum supra egerimus, ut nunc de loco, in quo exstructum fuit templum Salomonis, dispiciamus quoq; & disse-ramus, promissionis ratio & tractationis ordo postulant. Ita autem de eo scriptor sacer II. *Paralip. III. v. 1. & 2. Caput Salomon edificare domum Domini in Jerusalem, in monte Moriab, qui demonstratus fuerat David in ara Ornani Jebusai.* Ex hisce eum facimus triplicem, Generalem, specialem & singularem.

§. XXIII.

Generalem dicimus splendidissimam florentissimamque Palaestinae, imò totius Orientis urbem, JERUSALEM, in medio gentium sitam, quam peculiariter DEUS elegerat ad hoc, ut esset verae Ecclesiae domicilium, caelestis doctrinae *ταυειον*, divinique sui nominis sanctuarium, quemadmodum II. *Paralip. VI. v. 6. & seq.* ipse DEUS inquit: *A die, qua eduxi populum meum de terra Aegypti, non elegi civitatem de tribubus Israel, ut edificaretur in ea domus nomini meo, sed elegi Jerusalem, ut sit nomen meum in ea &c.* Confer. *Psal. CXXII. v. 3. 4. ejusq; enarrationem D. Molleri p. 1216.* & innumeros alio scripturae locos.

§. XXIV.

De hac urbe notandum, quod inde ab origine aliis aliisque insignita fuerit nominibus. Et primò quidem *Salem* dictam fuisse à *Melchisedeko*, qui eam exstruxerat, vix est, quod dubitemus, si *Gen. c. XIV. v. 18* & *Heb. VII. v. 1.* evol-
vamus, cumque *Psal. LXXVI. v. 3.* & iis quae *Iosephus lib. l. antiq. c. II. p. 9. lib. VII. c. 3. p. 92.* & *lib. VII. de B. J. c. 18 v. 435. & 436.* habet, jungamus. Atque his suppetias veniunt *Chaldens Paraphrastes* eumque sequuti plerique veterum in *c. l. Gen. it. Hieronymus ep. 126. ad Evagrium*, ubi omnes scripto-

res Ecclesiasticos illam sententiam amplecti memorat, quam ipse aliam foveat sententiam, uti cit. *B. Gerh. c. l. p. 316.* ex eadem constat epistolâ, it. *extr. de locis Hebraic. cit. Martiniô in lex. Philol. in voce Solyma p. m. 3688.* Vid. etiam *Adrichomius in descriptione Urbis Hierosol. p. 2. Bünting. in itiner. terræ sanctæ p. 39. Crellius c. l. sub vocibus Jerusalem p. 559. & Salem p. 781. Schindlerus in lex. Pentagl. volum. 1878. sub rad. שָׁלֵם. it. Georg. Pasor. in lex. N.T. nom. propr. in voce ἱεροσόλ. p. m. 31. & alii. Atq; hoc nomine vocata fuit annos circiter 318. ut vult & probat c. l. Crellius.*

§. XXV.

Deinde vocata quoque est hæc urbs *Jebus*, uti adparet ex *Jud. c. XIX. v. 10.* nimirum à *Jebuseis* à *Jebusi* tertio filio *Chanaan* prognatis, qui post mortem *Melchisedeki*, hujusq; nepotis *Sale* sceptrâ violenter ad se traxerant, de quibus videri possunt iterum *Adrichom. c. l. Crellius c. l. & sub nomine Jebus p. 551. Bünting. c. l. Schindler. c. l. c. 726. & alii.* Et hoc secundum nomen obtinuit annos 738. ut iterum probat *Crellius c. l. sub voce Jerusal.* Inde haut dubiè factum, ut etiam tertii Incolæ nomine prisco pro *Jerosolymitanis* *Jebusæi* dicerentur *Zach. IX. v. 7. & sic qq. Chaldaeus Paraphrastes h. l. reddidit, Tandem autem Jerusalem fuit dicta, ut hætenus citati luculenter ostendunt. Atque inde est, quod Hieronymus in ep. ad Eustochium de vitâ Paulæ eam vocat trinominem, inquiring: Ingressa est Hierosolymam urbem trinominem, Jebus, Salem, Hierusalem. A quo vero & quâ ratione, quaque vocis originatione postremò hoc adpellitata fuerit nomine, de eò non convenit inter Autores.*

§. XXVI.

Josephus in eâ sententiâ est, *Melchisedekum* urbi à se extructæ & primitus *Salem* dictæ postea addidisse templum, tumque *Hierusalem* nominasse; Verba ejus *lib. VII. B. J. c. 18. p. 435.* ita sonant: *Primus conditor ejus (Jerusal.) fuerat Chanaanæorum Dynasta, qui Patriâ lingua Justus adpellatus est Rex. Erat quippe talis, ideoq; sacrificium DEO primus exhibuit, & fanò primum edificatò Hierosolymam vocavit cum antea Solyma tantum vocaretur. Quum autem hæc vox sit Græca pariter & Hebræa, composita videlicet ex nomine ἱερόν templum & שָׁלֵם*

pax

pax s. felicitas, inde esse suspicatur *Dresserus c. l. p. 125.* quod Græci & qui eos sequuntur, Latini, Hierosolimam quam Jerusalem scribere malint. *Eusebius lib. IX. de prepar. Evang.* quem etiam seqq. *Egesippus, Nicephorus, Suidas* & alii, conjicit, Jerusalem istud nominis traxisse *Σαδ̄ & ἱερὸς Ἰερουσαλὼν*, id est, ab æde Salomonis inibi extructâ. Enimvero hi dubio procul aliter statuisent, si, quàm seверо edicto cordatiores vetuerint, ne proprii alicujus nominis etymon ex peregrinâ & alienâ lingvâ deducatur, perspectum habuissent, quò de *B. Glassius. Gramm. sac. l. IV. tr. III. de Nom. Prop. observ. V. p. 772.* Rectius proinde, quantum ad hoc, *Arias Montanus in lib. Canaan s. de duodecim gentibus c. VIII.* existimat, sic dictam eam fuisse propter editiorem situm, ut pristino Urbis Nomini np. *רם* *רם* accesserit *רם* altus, excelsus s. editus fuit. It. *Chytraeus in Onomast. Theol. p. 381.* qui arbitratur, *JEBUS* civitatem armis Davidis expugnatam *Jebusalem* (utroq; nomine in unum conjunctò) & per antistoechon *Jerusalem* dictam fuisse, ob etymi nimirum jucunditatem, ut sit *doctrina vel visio pacis.* Suam hanc faciunt *c. l. Adrichomius & Cl. Buchnerus in recognitò & locuplet. thesaurò Lat.* veramq; eam hic pronunciat; & ita Patres propè modum omnes sensisse dicit in *statu ineditò de urbe Jerusalem Excell. Dilherrus,* juxta quod etiam primitiva Ecclesia cecinerit:

Urbs beata Hierusalem, dicta pacis visio.

Amicabili quoque consensùs fœdere se jungunt *Christianus Becmannus in origin. L. I. p. m. 271. Schindlerus c. l. colum. 1878. Crellius sub voce Jerusalem. p. 559. & seq. & B. Glassius c. l. obs. XV. p. 844.* Cujus verba, quanquam à superioribus parùm alia non tamen erit *καταπέλας μάταιον ἡρώδην,* ut loquitur *Basilius;* Ita autem ille: *Simplicissime dicitur, nomini pristino Salem à Davide additum fuisse Jeru, à ירוּיָ vidit, ex denominatione montis ab Abrahamò factâ Genes. cap. XXII. v. 14. יְהוָה יִרְיָהּ Jehovab videbit, ut ita sit eadem denominationis initio montis Moria; & civitatis Jerusalem, monti illi ex parte superstructæ.* Atque hæc citra dubium est optima; Vicissim tamen aliam proponit *Georgius Pafor l. c.* quem verò quia liber iste in omni-

um ferè versatur manibus, non adscribimus. Si quibus placuerit, amandamus eos ad istum. Si item quædam legisse liceat de nomine Urbis nostræ Hebraicò ejusque formâ duali שִׁיחַר & quæ eâ significata arbitrentur Aa. consulti potis sunt laudati *Schindl. Crell. Glaff. &c.*

§. XXVII.

Num autem hæc Urbs primitus dicta *Salem* eadem fuerit cum illâ *Salem Sichein*, in quam post perpeffas & exsuperatas varias tentationes cum focis suis pervenisse dicitur *Jacobus Gen. c. XXXIII. v. 18.* uti vult *Pererius comm. in b. l.* istud non immerito addubitaverit, qui vel superficialiarum saltim istorum locorum cognitionem ex Geographis adeptus est. Hæc enim nempe *Salem Sichein* (si tamen quæ fuit, neque שִׁיחַר accipi debet. c. pro nomine adpellativò ad *Jacobum* relatò, ut eò in civitatem *Sichein* שִׁיחַר id est integer & quietus sine tentatione pervenisse innuatur, quod tamen non dare possumus adversantibus, quos adducit *B. Glaffius c. l. obs. XI p. 814.* eò, quod *Hebræi* hoc aliter, nimirum per שִׁיחַר non aut per שִׁיחַר efferant, ut scitè admodum & eruditè probant *Schindl. c. l. col. 1878. B. Gerhard. c. l. p. 629. Dilberrus c. l. alii que*) magis occidentalis fuit, sita in monte *Ephraim Jos. c. XX. v. 7. & I. Reg. c. XII. v. 25.* in profundâ valle inter montes *Garizim Jud. c. IX. v. 17.* ex quò benedictio, & *Ebal*, ex quò maledictio pronuncianda erant *Deut. XI. v. 29. & Jos. c. VIII. v. 33.* integris novem miliaribus à *Jerusalem* distans, ut vult *Friedl. c. l. vel ut Bünting. c. l. p. 81.* testatur, decem. Vid. etiam *Schindl. c. l. col. 340. & Crellius c. l. p. 194. 255. 322. 781. & 801.* Hanc autem Orientalem fuisse, dubiò ferè caret.

§. XXVIII.

Sine eò, dimitti haut debet *B. Lector*, quod *Salem Sichein* per ἀντισοχίας τῶν υ & γ postea *Sichar*, cujus mentio fit *Joh. c. IV. v. 5.* vel juxta accuratissimam *Chryso-stomi* editionem & *Arabem Pamphusten*, qui fortè respexerunt ad lectionem *Eusebii* & Veteris cujusdam libri in bibliothecâ Christianissimi Regis, quæ semper συχῆμ per υ . & nunquam per ι . habent σύχαρ per υ . ut notat *Casaubonus ad annal Ba-*

ron. tom. 1. exerc. 13. p. 256. i. & tandem autoribus Josepho & Plinio Maboriba, testibus item Eusebio & Chrysostomo quod, Neapolis, vel ut in itineratio Benjamin Tudelensis legit, Nebilas dicta fuerit; Ita enim habent Benj. verba: **נְבִילָא חַיִּיָּא שְׁכָנָא** Nebilas est Sicheim. Hodie à Turcis, qui eam possident, Neapolosam, audire, testis est Hieronymus Welfsch Ducis Würtemberg. Consil. Camer. in seiner Reise-Beschreibung/ hoc ipsò anno evulgatâ p. 182.

§. XXIX.

Sed præstat missis his, de locò, situ & partibus hujus urbis aliquid audire. Sita autem fuit in Judæâ ejusque toparchiâ decimâ, quæ Orine dicta erat. Teste enim Plinio l. V. hist. nat. c. 14. in decem Judæa divisa fuit toparchias: Hierichuntem, Emmaum, Lyddam, Joppicam Accrabatanam, Gophniticam, Thamniticam, Betholenen, Tephnenen & Orinen, in quâ fuere Hierosolyma longè clarissima urbium Orientis, non Judæa modò, sunt Plinii verba c. 1. Ipsa autem Judæa fuit Pars Palæstinæ, ea nimirum, quæ inter Gazam & Antilibanum fuit, ut testantur Strabo l. XVI. & Dio Cassius lib. 36. contradictincta illi, quæ ab Orthusia usque ad Pelusium Phœnicia vocatur. Et sic clauderetur Samariâ ad septentriones: montibus Scir ad meridiem: mari mediterraneo ad occasum: mortuo v. ad ortum, de quo videri potest Heidmanni Palestina cap. II. p. 12. §. 1. Hujus nempe Judææ in mediò sita fuisse nostra urbs creditur, inde etiam nonnulli umbilicum illius terræ eam tradiderunt, ut Aristæus seu quisquis est Autor lib. de LXX. Interpr. Inquiens: Urbem in monte suspicimus, totius regionis Judaicæ mediam; & Josephus, qui lib. III. B. J. c. 2. p. m. 372. ait: Media Judææ est Hierosolyma, unde quidam non sine ratione umbilicum ejus terræ eam vocant. Quod autem paulò post idem eandem caput istius regionis eam vocat, id minus concinnè dictum putat Johannes Baptista Villapandus in apparatu urbis & templi Hierosolym. cum, quod est caput alicujus, id umbilicus ejus esse dicere nequeat. Verum fungus est, qui non videt, Villapandum fluctibus apros & delphinum sylvis adpingere, cum sanè **נָאֵר אֵלֶּיךָ** ut loquuntur in scholis, eam urbi Hierosolymæ Josephus tribuat adpellationem, capitis videlicet respectu eminentiæ & dignitatis, qua reliquas suæ regionis

gionis omnes longè multumq; superavit, caputq; extulit tantum, quantum lenta solent inter viburna cupressi, quod quidem usitatissimum & familiarissimum est & sacris & secularib. ut ostendunt passim autores; umbilici verò respectu situs, quem gemellò more, atque umbilicus in corpore animalis, medium in istà regione obtinere fertur, ut supra ex *Aristeò* & *Josephò* veravimus. Sed nec hoc inauditum, nec aliis probatis Aa. incelebre. Sic etenim & *Romanus in VI. Verrinà Orator* umbilicum Siciliae ponit civitatem Ennam, & *Plinius l. 3. hist. nat. c. 12.* umbilicum Italiae circa lacum Reatinum esse dicit. It. *Paulus Warnefriedus de gestis Longobardorum l. 1. cap. 16.* profundissimam illam circa litus Scandiae occidentale voraginem non procul à continente Norvegiae sitam, umbilicum maris prodidit, quod scilicet in mediò istorum ista sita fuerint. Sic umbilicus Germaniae à chorographis putatur esse inter *Eisfeldam*, quae Praeceptorem Meum Honoratissimum, *Dn. Georgium Crauserum, Scholae Altenburgensis Epoptam* genuit, & *Coeburgum*, eandem planè propter rationem.

§. XXX.

Quod autem medium corporis umbilicus teneat, docet *Vitruvius l. 3. c. 1.* & asserit, si homo extensis manibus pedibusq; ambitum circuli faciat, tum Centrum istius esse in umbilicò, quod itidem *Galeno l. 2. de placitis Hippocratis & Platonis & lib. 15. de usu partium animalis 4. & 6. plac.* placere fertur, quicquid etiam *Varro l. 6. ling. Lat. quem etiam sequitur Vesalius* reponat. Vid. etiam *Jobannes Riolanus in enchir. Anat. l. 1. c. 4. p. 69. & Andreae Laurentii histor. anatom. lib. 1. quest. IV. p. 68.* ubi nugae pronunciantur & nusquam pro veris admittenda, quae mediam in corpore animalis sedem cordi assignant, soli umbilicò istà excellentià concessà. *Baubinus eadem* habet in *theatr. anatom. lib. 1. c. 1. p. 11. & c. 11. p. 40.* Qui plura cupitur, accedat alios quoq; hujus generis Viros, nos impraesentiarum de situ nostrae urbis satis diximus. Hoc dissimulare nē possumus, quod *Jerusalem* à quibusdam non *Judae* solum, sed universae terrae, velut quondam à *Gracis Delphi, Euripid. Orest.* umbilicus & centrum credatur; horum è censu videtur esse *Petrus*

trus *Blesensis* *serm. 1. de adv.* Alii dicunt hoc admitti non posse, sed solum intendi digitum ad orbem habitabilem ve ter ius cognitum, atque in illius mediò, sed ratione latitudinis saltem urbem sanctam potuisse dici constitutam, ita sentit *Casaubonus l. c. exerc. 16. p. 552.* adeoque subdit pro eò, quod in scriptis Rabbinorum Jerusalem dicatur inedium יְרוּשָׁלַיִם mundi, melius dici יְרוּשָׁלַיִם הַקְּדוּשָׁה. Alii alia tradunt, quæ videri possunt apud *Casaub. c. l. Sanatum in Secretis l. 3. part. 14. c. 8.* aliisque, nos jam properamus ad partes nostræ Urbis.

§. XXXI.

Eas igitur quod concernit, missis aliorum opinionibus, duas nos constituimus, Civitatem superiorem & inferiorem. Superior erat illa, quæ à Melchisedeko in monte Sion primum exstructa, & postea à Jebusæis validâ arce, firmis item altisque muris, portis & turribus, tandem autem à Davide Jebusæis ejectis variè adaucta, in plateas & vicos perpulchrè distincta splendidissimisque ædificiis celebrata & civitas Davidis insignita erat. Inferior ista, quæ superstructa erat montibus Acra & Moriia, qui à Davide adhuc etiam intra mœnia collocati unò nomine filia Sion dicebatur, ut tradunt *Josephus, Adrichomius, Bunting, Vadianus in epit. locorum, Crellius c. 1. &c.*

§. XXXII.

Enimverò hæc probè notandum, quod impræsentiarum nos de urbe Jerusalem loquamur, qualis tum fuit, quando Salomon templum inibi exstruere cœpit. Eatenus enim solum spectandam eam exhibemus (& adhuc quidem *ὡς ἐν πλάτει* solum nullatenus verò *ἀκριβέστερα*, secus enim etiam murorum, portarum & cujusvâs in eâ peculiaris & exquisita mentio facienda esset.) Qualis autem postea fuit, quando etiam mons Bezetha additus, ea item variis ædificiis, muris, portis, turribus, aliisque aucta fuit, qualis item post distinctas viginti quatuor horrendas dirissimasque obsidiones, expugnationes & conflagrationes reluminata evaserit, & qualis hodie sit, nostri non est instituti recensere. Vult

E

quidem

quidem *Brocardus Monachus* in *descriptione terra sancta*, hodierna urbis situm ab eò, quem diximus, vel eò saltim, quò aliquot paucis tamen annis post constitit, nihil immutatum esse, & id ipsum quoq; hodierni incolæ persuasum habere commemorantur. Verùm *Cl. Buchnero* aliter sentire videntur *Prædus & Villalpandus comm. in Ezech.* Hoc quidem ex *Palmerii, Onuphrii, Massai* & aliorum fide dignis scriptis traditur, quod ante annos amplius centum & quadraginta à *Selimo Turcarum Imperatore* in vasa, à *Turcis*, qui eam *Cuzumobarech* s. *cod. barich*, id est *Urbem sanctam* nominant, eodem murorum ambitu ac quondam, hodiè possideatur; Verum, num inde sequatur, quod vult *Brocardus*, ignoramus. Qui plura volet, accedat ad ravim usque dissertantem *Flav. Joseph.* plurib. in locis. *Furverum in itinerar. sacrò. Vadian. in epit. loc. Itiner. Bünting. à p. 39. ad 67. Adrichonium per totum, quem de urbe hac conscripsit, librum Heidmann. c. l. p. 14. & seqq. Crellium c. l. à p. 559. à l. 569.* ex quo uno hac de re tantum, quantum vix ex aliis decem capere poterit, non enim solùm, qualis primùm fuerit hæc urbs, sed qualis subinde ad adultiorem ætatem, quàm longè item distet ab omnibus ferè totius orbis scitu dignioribus & famâ clarioribus locis, ut sunt *Jena, Norimbergum, Hamburgum, Lipsia* &c. doctissimè notavit & plenissimè.

§. XXXIII.

Cæterùm nec profanis hæc urbs ignota fuit scriptoribus. Sæpiculè sanè ejus meminit *Cicero* ut *lib. II. ep. ad. Attic. ep. 9. & in Orat. pro L. Flacco*, & alibi. It. *Juvenal. sat. VI.* & alii benè multi. Quæ verò de urbe quadam *Lyciæ & Solymis* gente *Homero* cognita prostant, ea *Heidmannus c. l. §. 10. p. 14.* incerta, omnino verò nugæ pronunciat & *Buchnerus cap. l.* item, quæ de *Hierosolymo* Duce apud *Tacitum, initiò V. hist.* & apud *Plutarchum* leguntur; Atq; videntur ejusdem esse fursuris quæ *Martinius c. l.* ex *Hesychiò* de *Solymis Scytharum* gente, & *Solymò* tumultò in *Pisidiâ* suprâ *Termesum* promontorium exstructo *ex 10. Strabonis librò* adducit, si sc. pro hujus nostræ urbis fundatoribus, incolis atque partibus venditari & obrudi cui debeant.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Verùm nos jam pedem promovemus ad locum templi nostri specialem, quem montem Morija facimus. Hunc enim neque alium quendam in urbe Jerusalem noverat Salomon demonstratum Patri suo Davidi, nimirum *I. Paralip. c. XX.* divinò testimoniò (demonstrationem Divini Beneplaciti vocat *CL. Dilherrus in MS.* quodam, quod dicitur: *Conspectus templi Hierosolymitani*) eoque geminò, altero mediato, verbis Prophetæ Gad *v. 18.* alterò v. immediatò, igne cœlitus supra altare holocausti in illò monte à Davide tum erectum demissò *v. 26.* Quemadmodum igitur David, cum mortem sibi jam imminere persentisceret, in comitali die filiò suo Salomoni non regnum tantum designabat, verùm etiam elegantissimam templi ab ipsò nomini Domini exstruendi descriptionem tradebat, ut probat *I. Paralip. c. 20.* Ita, quin & locum, quem à Divinò Numine ad istud electum notat & consecra- neum designaverit; imò non tum demum, sed sæpius quoque ante, dubium omnino est nullum, atque inde est, quod in textu supra cit. dicebatur, *cœpisse Solomonem edificare domum Domini in Jerusalem in monte Morija, qui demonstratus fuerit Davidi &c.* Vid. & *Joseph. l. VII. antiq. c. 11. p. m. 105. & Crellium c. l. p. 560.*

§. XXXV.

In adsignandâ hujus vocis etymologiâ variant Au. *Onkelos Gerundensis*, est. B. *Gerhard. c. l. pag. 437. deducit à מרר amar* vel acerbus fuit, vel à מור myrrha, quoniam mons ille ferax sit myrrhæ, aloës &c. Alii derivant à מרת timuit, ut Morija sit idem, quo מרת pavor, timor, reverentia, eò, quod in hoc monte, id est, templo Hierosolymitano super hunc montem exstructò Dominus coli, timeri, adorari & reverentia ipsi exhiberi debuit, unde *Chaldæus Paraphrastes* verba illa *Gen. XXII. v. 2. Vade ad terram Morija*, reddidit: *vade in terram Divini cultûs*; Vel: quia in hoc monte Patres DEUM coluerint, sicut B. *Lutherus in marg. c. l. inquit: Moriah heisset Gottesfurcht/ dieweil die Alväter/ Adam/ Noa/ Sem auff denselben Berge Gdt gechret/ gefürchet und gedienet*

net haben. Wir Deutschen heissen es vielleicht den heiligen Berg/ oder da man Gott dienet mit loben/ beten und danken. Quidam faciunt à הר docuit, eò quo הר doctrina Evangelii de Sion & Moriſa eſſet exitura, ita *Schindlerus c. 1. col. 308.* ſub rad. הר . Alii volunt eſſe à הר inebriare, irrigare ſe, id propter, quod admodum irriguus eſſet ille mons. Denique ſunt, quibus ad ſalivam eſt facere à הר quod eſt vidit.

§. XXXVI.

Hi autem ſunt in duplici differentiâ. Quidam τὸ הר explicant de ipſo monte Moriſa, quoniam ille ſublimis admodum, excelsus atq; exinde præ aliis lucidus fuerit & conſpicuus, unde etiam Abrahamus, ſi *Hieronymo* fides habenda, per integrum diei iter, antequam contingeret, eum vidit; Atque huc citra dubium reſpexerunt LXX. qui reddiderunt, τὴν ὕψηλιν, & *Crellius* qui explicat *excelsum ſ. exaltationem*. Alii autem τὸ הר non ad ipſum montem referunt, ſed ad Divinum Numen, quod ibi Abrahæ & hujus filii, Iſaaci, obedientiam viderit, juxta *Nicolaum de Lyra in d. l.* vel ut volunt alii, quod ibi Abrahamum maximis in anguſtiis conſtitutum, triduanaque Iſaaci immolationis cogitatione diſcrutiatum, vel ipſius Iſaaci addiſtionem reſpexerit, atque hanc ipſum textum probare dicit *c. l. B. Gerbardus*, indeque *Hieronymus ex Symmacho* vertit montem ὀπτασίως *ſ. viſionis* & teſte *Lyrâ c. l.* addit, quum in fonte fovet, *Dominus videbit*, illud apud Eberinos in proverbium exiſſe, ut in anguſtiis conſtituti & DEI auxilio ſublevari optantes dicant: *In monte Dominus videbit*, id eſt, prout ibidem explicant: *Sicut Abrahâ miſertus eſt, ita & miſerebitur noſtri*; Item: *Sicut in monte vidit aſſiſtionem Iſaac, eum liberando, ſic & nos liberet*. Idem innuunt *Biblia Erneſtina* per iſthæc ad *c. l.* Aus dem/ was dem Abrahæ auff dem Berge Moriſah wiederfahren / iſt ein Sprichwort eniſtanden / dadurch man in zweiffelhaftigen Fällen / darinnen menſchliches Verſtand keinen Rath finden kan / auff Gottes Vorſorge zu ſehen / erinnert wird / daß man pfleget zu ſagen: **Auff dem Berge**

Berge siehet der HERR / das ist / GOTT wird zu rechter Zeit helfen und Rath schaffen / wie er vor Zeiten auff dem Berge Moriah gethan hat. Paul^u tamē aliter ista τὸ ἄλλ' explicant, putant enim Abrahamum eō respexisse ad præcedentem v. 8 ubi sciscitanti Isacco de victimâ holocausti responderat, Dominus providebit sibi. Verba c. 1. leguntur isthæc: Es hat Abraham diesen Ort also genennet / weilē an demselbigen erfüllet worden / was er droben v. 8. gesagt: Gott wird ihme ersehen ein Schaff zum Brandopffer.

§. XXXVII.

Priores tres probat & literæ propinquiores atque proposito magis consonas esse dicit, cum primis verò tertiam in additionibus suis ad expl. Nicolai de Lyrâ Burgenfis; Quintam verò, quæ Morija à ἄλλ' deducit, de valdè longò esse asserit, eoquē sensu rejicit, maximè, si ad ipsum montem referri debeat, quoniam videlicet ille non ita fuerit dispositus, ut à longò videri poterit, visionem enim impeditam fuisse per montes, qui in circuitu ejus fuerint, quemadmodum dicitur in Psalm. 124 montes in circuitu ejus. Num v. etiam locum habere non possit, si sensu posteriore explicetur, de eò istius velut olim Megarensium ἔδαξ λόγος: D. autem Glasius lib. IV. Chil. l. sac. tr. 3. obs. 10. p. 801. plenò eam admittit, ut est in proverbio, sinu, & piè simul atque eruditè eam amplecti dicit Fullerum l. 4. miscell. sac. c. 14. Vid. & Crellius c. l. p. 698. & Martinus c. l. p. 200. & seqq. Quomodo autem ἄλλ' Christum in carne manifestatum inde ostendant, & inter alia quoque ex situ, conditione & adpellatione hujus montis antitypum Isaaci in eò mactandi & immolandi probet ad πειραθεῖσθαι jam spectat, nec nobis ulterius aliquid de eò dicere convenit. Quibus lubet, accedant ipsam.

§. XXXIIX.

Mons hic fuit unus ex iis tribus, ab ortu urbi imminens, à monte Sion per vallem Tyropæon, à monte Acrâ verò per vallem Cedronis determinatus, longò tempore extra urbem situs, & postea demum, cum Rex David eam ampliaret, unâ cum

cum monte Acrâ intra mœnia collocatus ut ex supra dictis jam planum evasit. Videantur omninò *Bünting. c. l. p. 37. & 38. in der Contrafactur der Stadt Jerusalem/ ut ibidem adpellat. Adrichomius c. l. Crellius c. l. p. 698. Friedl. c. l. p. 82.* Scilicet positus istius hic fuit:

A	B		E	E	E
A	B				
A	B		D	D	D
A	B				
			C	C	C

Aa. signat montem Sion. Bb. Vallem Tyropoeen. Cc. montem Morija. Dd. Vallem Cedronis. Ee. montem Acra & c.

§. XXXIX.

Sed quomodo, inquit quis, hæc conveniunt cum eò, quod *Hieronymus Presbyter* scribit, se à senioribus Judæorum certissimè cognovisse, quod ibi immolatus sit Isaac ubi postea cruci affixus est Christus. Stante enim hoc, utique extra urbem Jerusalem montem Morija mansisse dicemus, quoniam extra urbem, in monte Calvaria certò crucifixus est Christus. Fuisse autem hunc montem eundem cum illò, quò in immolari debuit Isaacus, dubio ferè caret. Quod enim *cit. Dilherrò cit. 1r. Vir cætera Doctissimus, Petrus Cunæus lib. II. de Rep. Heb. c. 10.* vanissimum esse & exhibitari debere dicit, quod R. Elieser ita senserit, istud quibus quam Tartæssis murænis persuadebit? Videatur tamen ex superabundanti *Joseph. l. 1. ant. c. 14. p. 11. & lib. VII. c. 10. p. 103.* aliq; sexcenti.

§. XL.

Huic dubio satisfecit *in bibliorb. Diodorus Siculus*, qui testatur, montem Morija in plures colles & monticulos divisum, inque ejus parte Orientali Siona, in quâ arx David erat extructa, juxta quam Salomon templum ædificari cœpit, fuisse, aliam autem ipsiusdem partem extra urbem mansisse, eamque postea montem Calvaria f. Golgotha audisse. *Isthoc B. Gerhardus c. l. ex Gen. XXII. v. 2. patere dicit, & B. Glasius c. l. p. 2. ex chorographis ostendit, civitatem David, sedem templi & locum Calvaria unius ejusdemque esse montani*

montani tractus. Et in indice nominum Propriorum regio operi inlertò tit. Morija, mons Morija & Sion pro eodem habentur.

§. XLI.

Subjiciendum quoq; nunc aliquid de locò templi nostri singulari. Eum dicimus aream illam in monte Morija, quam itidem & specialiter in illò monte Rex David à Divinò Numine ad hoc electum norat, juxta §. Et proinde ab Aravnâ, priscò Jebusitarum Rege coëmerat certoque pretiò suam fecerat, juxta II. Sam. c. XXIV. v. 24. I. Paralip. c. XX. v. 1. & XXV. v. 25. In Eberinò est []^a quod notat horreum, locum illum in prædiis rusticis frumentis & cæteris leguminibus exprimendis factum, uti Ulpianus L. Mela XIV. §. 3. extra D. de alimentis & cibariis legatis describere fertur: Inde nimirum, quod frumenta secta ibi arefcant & terantur, ut vult Varro l. 4. de L. L. Inde Venustinus Vates lib. 1. carm. ode 1. v. 9. & 10.

----- Si propriò condidit horreò

Quicquid de Libycis verritur areis

& 1. Serm. satyr. 1. v. 45.

Millia frumenti tua triverit area centum. & c.

Propter similitudinem autem, etiam loca in urbe vacua, quæ quasi exaruerunt, domibus inædificandis idonea, areæ vocabantur, velut ex Festò notat Buchnerus. Unde denuò Horat. l. 1. ep. 10. v. 13.

Ponendæq; domo querenda est area primùm.

Vid. Martin. sub voce area p. m. 73. Buchn. c. l. Capellum Merckii. p. 75. Schindl. c. l. p. 343. Buxtorff. in lex. p. 123. aliisque complures.

§. XLII.

Atq; hic jecit Rex in altissimam terræ profunditatem fundamenta templi è saxis validissimis, quæ contra omnem temporum injuriam resistere possent, ita ut cum contiguâ terrâ coalita Solum ac firmamentum imponendæ substructionibus præberent, & propter inconcussam soliditatem facile molem adificii cum paratu ornamentorum sumtuosissimò perferrent, non minorem admirationem habitura, quàm qua supernè ad amplitudinem, pulchritudinem & magnificentiam

centiam operis per artifices elaborata sunt, extruxeruntq; illud usq; ad lacunar ex albó lapide, scribit Josephus VIII. antiquo. c. 2. p. m. 110.

§. XLIII.

Rem ipsam quod spectat, quin habeat se eò, quò hætenus proposuimus modò, non dubitamus, neque eò nomine quemquam falsitatis eam in cusaturum putamus, num autem ordine satis dicenti & ad mentem eruditorum propo- sita & triplex à nobis constitutus fuerit locus, de eò fortassis scrupulus cui suboriri posset. Communis sanè & decantatissima, quin & receptissima est sententia, locum esse tantum duplicem, communem videlicet & proprium vel κοινόν & ἴδιον, ut habent Peripat: Dd. verba IV. Physic. c. IV. t. 14 unde & nobis διαφορῆσι observandam tenendamque fuisse, ita ut locus singularis idem sit quod proprius & generalis idem quod communis, quis est qui ambigat?

§. XLIV.

Putamus tamen nihil monstri hæc alere, modò rectè explicentur quando enim in præsentiarum de locò agimus, eumque triplicem constituimus, tum non, ut solent in scholis Physicis accipimus pro affectione corporis naturalis propter finitam & determinatam quantitatem ipsi competente, quæ, quatenus in eâ corpus est ὡς ἐν ᾧ πρῶτον, proprius, qt. v. ὡς ἐν ᾧ πάντα τὰ σώματα εἰσι, communis dicitur locus; Vel clarius, ut explicant commentatores, quæ; quatenus primò & immediatè corpus continet locatum, proprius, qt. v. mediatè & secundariò continet simul plura loca, communis appellatur locus; sed accipimus ex populari loquendi consuetudine pro eò, ubi res aliqua est, vel ubi quicquam consistit & locatum esse potest, ut explicat Varro l. 4. de L. L. quo Germ. dicunt, etne Ståte/ Stadt/ Plaz/ Raum &c. sic antiquitus locus idem erat, quod postea dictum est fundus, ut testatur Cicero pro Quint. & vetus autor de limitibus apud Rigartum, aliiq;e. Sic Ovid. l. 2. Fast. locum urbis vocat id, in quo vel ubi postea urbs extructa fuit, inquires:

Hic

Hic, ubi nunc urbs est, tunc locus urbis erit.

Tale autem quod locum dicimus, quo minus diverso respectu generale, speciale & singulare vocari possit, quid obstat, non videmus. Videlicet singularem alicujus rei locum vocamus eum, qui primum est illius rei ubi, ut loquitur *Scaliger*, vel ubi res est & consistit separata à communitate, vel qui ipsi maximè prope est; specialem, in quò sunt & consistunt etiam aliæ res, generalem autem tandem, in quo adhuc aliæ sunt & plures. Quomodo autem cum positis conferri hæc possint, ex iisdem cuilibet patet, unde etiam nos prolixiores heic non erimus. Si verò quis hac explicatione, quæ tamè & rei ipsius veritati & magnorum innititur auctoritati, contentus esse nolit, ei in conflictu cum Deo aliter ut satisfaciamus, videbimus. Jam autem bono ordine ad causam templi nostri efficientem vel autorem per vulgatissimum *τὸ* à quò indigitatum.

§. XLV.

Itaque causam efficientem quod spectat, de eà notandum, quod quemadmodum aliàs, ita & inpræsentiarum non unius sit generis, sed alia est principalis, alia autem minus principalis, aliò nomine etiam instrumentalis insignita; Et utraqûe iterum alia moralis, alia vero physica. Quomodo autem sigillatim quælibet harum definiatur, id nunc quidem operose convasando nõ damus, quia ex passim obviis libellis metaphysicis peti potest, aliqua tamen & quæ quidem *πρὸς παρὲν* requiri videbuntur, inspergemus.

§. XLVI.

Causam efficientem nostri templi moralem dicimus Regem *Salomonem*. Equidem parens ipsius Rex David ante annos amplius triginta, cum singulari favore & beneplacitò DEUM se complecti, resque suas quotidianis successibus per ipsius gratiam proficere persentisceret, peccare se putans, quod, cum ipse habitaret in altà regiã cedrinis trabibus exstructã, & omni artificiò exornatã, arcam pateretur in tabernaculo jacere, nomini Domini domum exstruere constituerat 2. *Sam.* 7. v. 2. Verùm cum per Nathanem Deus loqueretur

F

retur

retur ad ipsum & diceret: *nunquid tu edificabis mihi nomen ad habitandum? neque enim habitavi in domo ex die illa qua eduxi Israel de terra Egypti l. c. v. 3. 6. & postea v. 12. filius tuus edificabit domum Nomini meo, iterum desistebat a proposito, filioque ex se oriundo relinquens designabat, inde 1. Paralip. 23. v. 7. & seqq. hunc ipsum alloquitur in modum: *Fili mi, voluntatis mee fuit, ut edificarem domum Nomini Domini DEI mei, sed factus est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris edificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me; filius autem qui nascetur Tibi, erit Vir quietissimus, ipse edificabit domum nomini meo.* Solummodo igitur suo tempore David preparabat impensas domus illius, aurum & argentum, aes & ferrum & ligna & lapides ad universa impendia, & plurimos artifices, latomos & coementarios, artificesque lignorum & omnium artium ad faciendum opus, prudentissimos in auro & argento & aere & ferro ib. v. 3. 14. & seqq. & c. 30. v. 2. seqq. Vid. quoque Joseph. lib. VII. ant. c. IV. p. 93. & c. X. p. 103. & c. XI. p. 104. Salomon autem, parente demortuo, regno jam potitus opus ipsum adgrediens templum edificare coepit. Unde etiam templum Salomonaeum dici suevit, & Salomonium apud Lactantium, item Saxa Salomonea dixit Prudentius. Ubi notanda sunt, quae Arias Montanus in Libano seu de fabrica templi p. 17. habet, quod mirum ideo templum Salomonis dictum fuerit, ut probat DEO nominis auctoritate sanctius populo haberetur, nihil enim, subdit, sinistri in edificante fuit illo tempore; Deinde, pergit, ideo etiam sic dictum fuisse, ut cum postea destrueretur, populus sua, non auctoris culpa id accidisse intelligat.*

§. XLVII.

Diximus *monlem*: Neque enim probabile est, tantum regem ipsum manus operi admovisse, materiamque ipsi conficiendo partim a beatissimo parente, partim vero a semet ipso comportatam & preparatam conjunxisse, & ad decentem illam & intentam figuram reduxisse, verumque adeo in effectum influxum praestitisse, vel, quod idem est, reali influxu & per suam entitatem ad illum concurrisse, quod tamen ad causam

sam physicam requiritur. Relinquitur itaque fuisse causam
saltim moralem, quæ sc. ita se gerit, ut quantumvis in effectum
verum & positivum vel realem influxum non præstet, ei tamē
ille, puta effectus, imputetur, quia dignitatem & valorem in
se habebat, quo causam physicam ad agendum movebat &
impellebat; Quoniam autem varii sunt illius modi, vel si quis
ita dicere malit, species, ad primam referre eam adlubescit,
ubi ille alicujus effectus causa moralis dicitur, qui directē
eum effectum vult & propterea aliud agens ad producendum
eum inducit, ut ut ipse reali in eum non influat influxu. Et
hæc de causa templi nostri efficiente principali morali.

§. XLVIII.

Antequam verò transitum faciamus ad efficientem prin-
cipalem physicam, paucis tantum agendum de Salomonis
ortu, ætate & nominibus. Natus autem est Jerusalemi ex
Bathsabâ, annō ætatis Davidis 50. regni v. 20. & numerabat
tum annum XXI, uti ex sacrâ historiâ colligunt & clarissimè
ostendunt quorum operâ suprà usi sumus ferè omnes, quos
proinde lubentes hæc omittimus. Neque etiam opus est,
ut multum sermonem cædamus de ejus nominibus, horumq;
significatione, quoniam semper vel in fronte vel in tergō eam
ipsamet gerunt impostam, *Vid. II. Sam. 12. v. 25. & I. Paral. 23.
v. 9. & adjuuge Onomast. Chyr. Pauli Crellii Promt. Bibl. 782.
Christ. Becm. Orig. L. L. p. m. 937 Georg. Pasiv. c. l. B. Glass.
c. l. pag. 796. & novissimè Virum, ut loquitur Eusbatius,
Ἰσὴν τὸ πρῶτον Ἰσραηλιτῶν ἡγέμενον ἐκ δόξα & Patronum meum Magnū,
Dn. M. Sebastianum Mitternacht / Illustris Ruthenai, quod Gera est,
Rectorem, In doctissimis, quibus hoc ipso annō orbem lite-
rarium & Fabricii hist. sacr. illustravit notis, lib. IV. pag. 154.
& seqq.*

§. XLIX.

Causam nostri templi quod nunc attinet efficientem
prinipalem Physicam, de ea commodius putamus dici posse in
plurativō s. multitudinis numerō, quoniam eō nominis
continentur omnes, qui ad hoc tum à Davide tum à Salomo-
ne vocati, directi & ordinati erant, videlicet, triginta millia

operariorum eorum, quos à populò suo exegit Salomon, *I. Reg. V. 12.* Atque hos inter primas omnium tenebat *Hiramus* patre *Tyriò*, matre *Ebræa* progenitus, de tribu *Nephtalim* ut libri *Regum*, vel de filiabus *Dan*, ut *2. Paral. II. v. 14.* verba testantur. Erat autem iste Vir prudens in omni ære, utriusque *Tyriorum* *Regis Hiramorum* sculptor s. statuarius ab *Hiramò* juniore *Salomoni* transmissus, ut esset architectus, *Vid. Crellius l. c. p. 498. & 527. & pralaud. Mitternacht/l. c. l. IV. p. 159.* Ubi non dissimulandum, quod prudèter admodum & pulchrè inter eorum operas *Salomon* partitus fuerit, ut labor minus sentiretur. Decem enim millia iussit in *Libanò* sylvam per mensem integrum cædere, ac deinde per duos alios domi interquiescere, dum reliqua viginti millia suum opus absolvissent, ita ut quarto demum mense labor ad primos illos decies mille rediret, sunt verba *Joseph. lib. VIII. antiq. c. 2. p. 109.* Porro huc spectant quoque septuaginta millia illorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte *I. Reg. V. v. 15.* qui erant inquilini illi in opere, quos *David* eò destinaverat, ut iterum *Joseph. c. l.* Hi universim omnes realem in effectum influxum præstiterunt, & proinde jure meritoque pro causâ efficiente principali *Physicâ* istius habentur.

§. L.

Enimverò dum hæc dicimus, videlicet operarios illos à *Salomone* vocatos, directos & ordinatos esse causam efficientem principalem, nolumus in sensu, ut loquuntur, composito istud à quoquam intelligi, quasi nimirum istud egerint eatenus, quatenus ad hoc vocati, certo cõsilio imperioque directi & ordinati erant; tum enim nullatenus admitti potest, eos fuisse causam efficientem principalem, quin potius fuerunt causæ instrumentales, moraliter, quod dicitur, ad istud elevata, quemadmodum mox patebit; Sed aliò respectû istud nominis iis tribuimus, nempe in ordine ad effectum, quem quatenus verè & reali suo influxu causarunt, atque per communicationem entitatis suæ produxerunt, & virtute quidem non ignobiliori, quam ad producendum illum requirebatur, istâ adpellatione non injuriâ gaudent.

§. LI.

§. LI.

Sed hæc sufficiant de causâ templi nostri efficiente principali, eaque physicâ pariter & morali; Jam pauca quoq; de efficiente istius minus principali vel instrumentali, quæ itidem, ut supra jam dum innuimus, est vel talis in genere rerum & physica, vel in genere morum & moralis, dicenda & subtexenda restant.

§. LII.

Quantum ad illam nempe Physicam, quam instrumenta quàm causas instrumentales dicere malimus, ea quantum ad præsens sunt in duplici differentiâ; Quædam sunt ἀψυχα, quædam verò ἐμψυχα, prout distingvit *Philosophus* 1. *Pol. c. 4. s. 6.* ἀψυχα vocamus ea, quæ à causis efficientibus principalibus Physicis ad illum effectum producendum elevata sunt, v. g. mallei, secures, ferræ &c. quemadmodum à fabro elevatur ferra ad secandum lignum, & calor ab igne ad producendum alium ignem &c. ἐμψυχα autem dicimus ea, quæ à causâ efficiente principali morali per quandam elevationem moralem ad istum effectum elevata sunt, atque hæc quidem sunt ii, quos supra diximus fuisse causas efficientes principales Physicas: Ubi nihil obstat, quod diximus, fuisse eosdem & principales & instrumentales causas. Non enim eadem istud fit ratione, ut ex dictis jam abundè dispalescit. Sic istos operarios diximus causas efficientes principales, quæ ad operandum nullâ indiguerunt elevatione Physicâ, vel quatenus in illum effectum verum & realem præstiterunt influxum, virtute non ignobiliore, quam ad ipsum requirebatur: Instrumentales autem vocamus, quatenus moraliter elevati & imperiò quodam directi istum produxerunt, quemadmodum v. g. qu. servus exequitur imperium heri, instrumentum moraliter ad id elevatum audit; Ubi iterum nihil obtinet, qui obvertit, perquam jocularè & μίγοψυχίας μέντοι videri, dicere, elevatum esse à causâ morali & tamen esse instrumentum Physicum? Etenim hæc optimè simul stare possunt. Hoc quidem indubium est, omnem illam causam, quæ aliâ elevat aut ab aliâ elevatur e-

elevatione physicâ, esse diciq; debere physicam, sicuti, quando faber elevat malleum ad producendum ἰπόδημα ἵππου, & quod elevat, & quod elevatur, utrumque est aliquid Physicum, & sic quoque comparatum est cum aliis; Verùm quantum ad ea, quæ moraliter elevant aut elevantur, res aliter se habet. Ibi utiq; causa moralis potest moraliter aliquid elevare, quod tamen manet causa physica, quemadmodum v. g. magistratus carnificem moraliter elevat ad hoc, quod furti convictum suspendit. Esse autem magistratum moralem, carnificem vero physicam suspendii causam, nisi qui fungus plane est & ad agnatos ablegandus, nemo inficiabitur.

§. LIII.

Hanc quod spectat, nempe instrumentalem moralem, eam fuisse dicimus universum chorum præpositorum, qui præerant populo & his, qui faciebunt opus, nempe *Adoniram*, ille *Habda* filius *i. Reg. 4. v. 6.* qui erat super indictionem eorum, quos suo à populo exegerat Salomon, nempe triginta millia operariorum, & ter mille atque trecenti illi, qui præpositi erant inquilinis illis in opere, quos David eò destinaverat, *I. Reg. VI. v. 12. & 15.* Vid. & *Joseph. l. c.* Hi enim, quò causam Physicam movebant, valorem atque dignitatem in se non habebant: Quod vero movebant, acceperant à causâ principali, id quod manifestissimum causæ instrumentalis moralis indicium. Acceperant autem à Davide & Salomone, prout ex hactenus dictis planum evasit.

§. LIV.

Neque verò hoc iterum infrinigt, quod dicunt, fieri non posse, ut plura instrumenta, quæ sunt ejusdem generis & non subordinata, ad eundem concurrant effectum, ad quem producendum quodlibet eorum adæquate sufficit, uti v. g. solus *Adoniram*, de quo §. *preced.* suffecisset? Etenim (I.) hoc solum verum est de instrumentis Physicis, de moralibus autem non item, horum quo minus plura tanquam totalia ad eundem concurrant effectum, nihil omnino impedit; Sic v. g. ut ægrotus sanitatem recuperet, sæpè to-

cius

tius Ecclesiæ preces & suspiria tanquam instrumenta ad hunc effectum moralia adhibet, cum tamen, quod sine ratione in dubium vocat in nuper edito de *reditu precum tr. Goodwinus*, unius etiam preces sufficiens & adæquatam instrumentum in genere morum esse poterant. (II.) Non immerito adsumtum quis in dubium vocaverit, hoc quidem, quod solus Adoniram vel alius aliquis tantæ multitudini & cum primis tam longè lateque dispersa quotidie impellendæ atque admonendæ satis fuerit & sufficiens.

SED SATIS.

B. L. Quoniam, dum hæc disputatio typis excrimeretur, à Magno quodam Patrono aliquò vocatus, per triduum abesse, atque adeo corrigendi laborem alii cuiusdam, qui propter insubidam autogr. scriptionem literas non adeo benè dignoscere potuit, committere coactus fui, factum est, ut stupendi quidam errores irripserint. Ne autem rem jam ante obscuram penitus isti infuscent, officiosissimè rogo, velis crassiores sic corrigere.

In tit pro Christianus, Christianus, in §. 30. l. 14. pro nen, non, l. 19. pro Veterius, Veteribus, l. 23. pro inedium, medium, & l. 26. pro aliis, alios, in §. 31. l. 10. pro dicebatur, dicta, in §. 32. l. 28. post librum ponatur, in §. 33. l. 6. pro &, CL. ib. pro cap. cit. in §. 34. l. 15. pro notat, norat, in §. 35. l. 2. pro est, teste, in §. 36. l. 16. pro foveat, sonet, in §. 37. l. ii. pro D. B. l. 12. pro Chil. l. Philol. & l. 15. η deleatur, & l. 18. post probent, ponatur, in §. 40. l. 1. pro satisfacit, satisfacit in §. 41. l. 4. pro §. superius dicta & l. 6. pro XX. v. i. & XXV. legatur XXII. & l. 22. pro Capellum Merckii, Castellum Merckii, in §. 42. l. 5. & 6. compleantur ab initio per c. & r. in §. 43. l. 4. pro dicenti, decenti, in §. 44. l. 2. post explicentur, ponatur; & l. 13. pro quo, quod, & l. 17. pro Rigarrum, Rigatum, &c;

So recht mein wehrter Freund/ bis was du nimmest für/
Wird unsern Salems Prinz/ im Fall du noch zu giebest
Schweiß/ Fleiß und Werrauch. Dampf/ bewegen/ was du liebest/
Vom Berge/ da er sieht/ zu geben alles dir.

Seinem Herren antwortenden und Schwägerlich-geliebten
Freunde setzet dieses glückwünschend hin. n

W. Ludewig.

Felden belieben die lieblichen Felder/
Andre erfreuen die lustigen Wälder/
In welchen die zierliche Nachtigal singt/
Und mit der Stimme die Lüfte durchdringt:

Viele sind/ welchen die blitzenden Ballen/
Pulver/ Blei/ Eisen und Schwerter gefallen/
Welchen beliebt/ wenn Achilles dort siegt/
Hector hingegen entselet hier ligt.

Dieser thut besser/ der einzig nur lieber
Phöbum und ihm sich gänzlich ergiebet/
Denn der wird endlich zur Tugend geführt/
Und denn mit höchsten Ehren geziert.

Dieser wird bis an den Himmel erhaben/
Und wird beschenkt mit allerley Gaben
Welchem in diesen verthierten Gezeß
Einzig alleine die Pallas gefällt.

Du hast du auch gar wol und recht in Ache genommen
Herr JREY/ und bist demnach auch glücklich dahin kommen/
Wohin du lang gewolt/ worauff du längst gedacht/
Wornach du allezeit vor diesen hast getracht/
Drumb wol/ so fahre fort/ Herr JREY/ die grosse Ehre/
Die du antzt erlanget/ noch ferner also mehre/
So wird am Helikon dein Nahm geschrieben stehn/
Und nie zu keiner Zeit verdunckelt unter gehn.

Also folgete seinem Herren Better nach/ und schüttete
seine Schuldigkeit in den Schoß seines Herren
Schwagers aus

**Friederich Gotter von Camburg/
der Welt-Weisheit besitzener.**

F I N I S.

153 044

ULB Halle

3


003 484 998




5b

ATB 153 044

VD 17





26.

I. N. S. S. T. A.

DE

TEMPLUM
SALOMONÆO,
QUANDO, UBI, A QVO, EX

QVIBUS, ET QVOMODO EX-
STRUCTUM FUERIT,

DISPUTATIO SECUNDA

EXHIBENS ubi & à quô

Quam

Ampliffimæ Spectatiffimæque FACULTATIS PHI-
LOSOPHICÆ JENENSIS PERMISSU,

Publicæ placidæq; Eruditorum *ἐξέτασι* submittit

PRÆSES

M. MICHAEL CHRISTI-
NUS LUDOVICI

Tröbnic.

RESPONDENTE

JOHANNE ZACHARIA *Gren* / Eislefeldâ Francô.

ad diem *Octobris*

M. DC. LIX.

H. L. Q. S.

Typis SAMUELIS KREBSII.

